



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Secundus, Siue Exempla, In Septem Capitalium Vitiarum
Detestationem, Per Quadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

Reverendissimo Et Perillvstri Domino Domino Ioanni Rvdolpho Libero
Baroni de Rechberg, In Hohenrechberg, Domino in Donzdorff & Wisgolting,
Serenissimi Et Reverendissimi Sigismvndi Francisci ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48186)

REVERENDISSIMO ET PERILLVSTRI
DOMINO DOMINO

IOANNI RV.
DOLPHO
LIBERO BARONI DE RECHBERG,
IN HOCHENRECHBERG, DOMINO
in Donzdorff & Wisgolding.

SERENISSIMI ET REVERENDISSIMI

SIGISMVNDI
FRANCISCI

ARCHIDVCIS AVSTRIÆ ET EPISCOPI
AVGVSTANÆ DIOECESIS ADMINISTRATORI

VIGILANTISSIMO, CATHEDRALIS ECCLESIÆ IBIDEM

PRÆPOSITO DIGNISSIMO, NEC NON

EICHSTETTENSI ET ELWACENSI
CANONICO, DOMINO MEO

COLENDISSIMO.



Vod dudum animus cupiebat, calamus
gestiebat, officium & munus meum debe-
bat, sed hostilis gladius impediabat face-
re, REVERENDISSIME ADMINIS-
TRATOR, id nunc demum ago, armis
quietem spectantibus, & togæ cedenti-

bus. Nimirum opportuna fuit mora atque dilatio,
vt tunc tibi de ADMINISTRATORIS munere, &
PRÆPOSITI dignitate lætus acclamarem, & fausta-
precarer, cum tam noster, quàm aduersariorum miles
desijt timeri. Turbat tubarum strepitus gratulationem,

Cic. Curioni,
lib. 3.

quæ læta esse debet, & cum tranquillitate. *Sera gratu-
latio reprehendi non solet, praesertim si nulla negligentia pra-
termissa*

EPISTOLA

permissa est, ait M. Tullius. Et quidem tibi, immo & Ecclesiæ Augustanæ merito omnes gratulantur, quicumque vel tuum ingenium, vel huius statum nouerunt. Est enim iste talis, ut tuo ingenio indigeat; & tuum ingenium, ut iacentem erigere valeat. Quod vel nomen familiæ tuæ inclytæ nobis in te ominabatur, à CERVIS & MONTIBVS ductum. Sicut enim cerui à canibus per campos agitati ad montes se, tamquam ad asylum, recipiunt, regio Propheta dicente: *Montes excelsi ceruis: petra refugium herinacis*: ita turbidâ hac belli tempestate, trepida diœcesis Augustana vndique miserè vexata, inter tot rerum discrimina, nusquam potuit tutius consistere quàm si se tali MONTE tueretur. Præuidisti hoc, ô clemens DEVS, *preparans montes in virtute tua, accinctus potentia*. Idcirco fluctu decumano, post tot vndas, secuturo, rupem hanc in medio mari statuisti, ad quam procellæ alliderentur. Rectè dixit quidam: *Regendo Mundo nati sunt Montes; Atlante iam fatigante Montem alterum parat AVGVSTA*, cui molem imponat. Quis hoc non videat? *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita*. Igitur clariùs iam micare par est. Vicinum conijcere diem licet, quando in Occidente rubere MONS cœpit. Et quis tibi, aut patriæ meæ de tali MONTE non gratuletur, quando vel hostis noster virtuti tuæ se inclinavit? atrocior futurus, si tu minùs prudens ac bonus fuisses. Possem plura commemorare, si hæc tempora veritatem paterentur. De præteritis fas est futura conijcere. Sed ne & hæc quoque tibi, magna potiùs facere, quàm de te ipso audire cupienti nimis prolixa videantur, malo tacere, quæ alios scio cogitare. Maiorem paginam implerent, si quæ vel hisce meis oculis vidi in te laudanda, velim recensere. In

Psal. 103. 18.

Psal. 64. 7.

Matth. 5. 14.

DEDICATORIA.

re. In eadem enim Aula Bauarica, atque iisdem Principibus adfuiimus, per aliquot annos; tu, vt mores regeres; ego, vt traderem artes, simul læti & tristes: eo solùm discrimine, vt ego agerem scholæ magistrum, tu aulæ Præfectum. Quamquam tua se virtus amplius extendit, vt, quemadmodum de Bauaris, ita etiam de Austriacis benè mereretur. Vtrobique amatus, vtrunque auulsuses, quia ad maiora à Deo vocatus. Quæ optimè tibi cessura, non possum ambigere; quando DUCVM & ARCHIDUCVM tam bonus Dux extitisti. Et quia non erit tibi *colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia, in celestibus*, idcirco librum de septem monstris dedico, quibus, tamquam septem Hydræ capitibus, domandis Hercule opus est. Vale, & Vince. Ingolstadij Anno 1649. 12. Cal. Maij.

Seruus in Christo

GEORGIUS STENGELIUS
Societatis IESV.

APPROBATIO

R. P. PROVINCIALIS.

EGO NICASIVS WIDNMAN, Soc. IESV per Superiorem Germaniam præpositus Prouincialis, ad hoc mihi facta potestate ab admodum Reuerendo P. N. Generali, Vincentio Carrafa, facultatem concedo, vt EXEMPLA de septem Capitalium Vitiarum detestatione typis mandentur, quæ per Quadragesimæ tempus, ad populum sunt narrata à P. GEORGIO STENGELIO Soc. IESV Theologo, & ab illis, qui ea recognouerunt, digna prælo iudicata. In cuius rei fidem, manu mea nomen, & officij sigillum addo. Ingolstadij. Anno 1646. 16. Septembr.

NICASIVS WIDNMAN.